



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Sectio secunda. Per quos actus Christus Dominus meruerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

obiectum, quod supponit, & ideo illum neq. physicè nec moraliter mutat, sed talem illum acceptat qualis ipse est: at vero promissio sub conditione operis intelligitur antecedere opus ipsum, quod in tali promissione quodammodo fundatur & nititur, & ut sic conferre multum potest ad moralem æstimationem & efficaciam operis. Exemplum affari potest ex Adæ peccato, nam si omne pactum & legem Dei excludamus, illa transgressio soli Adamo nocere potuisset, postquam autem ex lege Dei constitutus est Adam veluti caput, quod pro se & posteritate sua legem accepit, cuiq. eodem modo promissio iustitiæ, vel comminationis mortis facta est: per transgressionem diuini pacti & legis de condigno meruit non solum sibi, sed etiam posteris suis odium, & inimicitiam Dei. Et simili modo diximus supra, potuisse Deum constituere aliquem puri hominem, qui in genere gratiæ esset caput aliorum hominum, & talem promissionem, vel pactum cum illo constituere, ut postquam homo in tali dignitate constitutus, verè alijs mereri ex iustitia, quia illa conditio personæ, & diuinum pactum, moraliter loquendo, multum conferrent ad moralem æstimationem & efficaciam operum. Sic ergo quando promissio sub conditione operis antecedit, & actio meritoria in illa fundatur, habet vim inducendi debitum ex iustitia, quā alias nō haberet. Et ratio reddi potest, quia morales actus à circumstantijs accipiunt valorem & efficaciam moralem, quod autem opus fiat ex dicta promissione, est quædam circumstantia ratione cuius tale opus ad iustitiam pertinet, & ideo inducere potest obligationem iustitiæ. Quæ ferè omnia supra citato ar. 2. indicauimus, ubi etiam explicui, quæ differentia sit inter promissionem simplicem seu absolutam, & onerosam, seu, quæ sit sub conditione operis: illa enim per se non inducit obligationem iustitiæ: sed fidelitatis, hæc vero, posita conditione seu expleto opere, infert iustitiæ obligationem. Explicui etiam eo loco, quomodo huiusmodi promissio nihil diminuat de perfectione iustitiæ: sicut in omni contractu, quod contrahentes liberè paciscantur, non tollit quin obligatio inde orta ad perfectam iustitiam pertineat, maxime cū opus ipsum proportionatum est mercedi & præmio, quod sub illius conditione promittitur.

Ex his ergo omnibus sufficienter concluditur, omnes conditiones ad perfectum meritum requisitas, in Christo Domino inuentas esse, atq. adeo potuisse mereri, ac denique de facto meruisse. Quæ assertio de fide certa est, quam ex Scripturis melius infra demonstrabimus ostendendo, quid sibi, & quid alijs meruerit. Nunc sufficiat definitio Concilij Trident. sess. 6. c. 7. docentis, Christum esse causam meritoriam nostræ iustificationis. Ratione etiam patet ex dictis, quia omnis viator gratus Deo, illi obediens, & studiosè operans propter ipsum, & ex gratia eius, meretur coram ipso, & hæc est vna ex magnis perfectionibus viatoris: sed Christus assumpsit statum viatoris, & erat gratissimus Deo, & optimè operabatur, &c. ergo meruit coram Deo: sine causa enim assumpsisset viatoris statum, & hac perfectione seipsum priuasset.

Ex hoc vero ulterius infert Alexand. Alens. 3. p. quæst. 16. mem. 2. non solum potuisse Christum mereri, & meruisse, sed etiam non potuisse non mereri, quia non potuerunt virtutes eius esse otiosæ. Quæ sententia, si de potentia ordinaria intelligatur, & supposito statu & modo operandi, quem Christus habuit, verissima est: quia supponimus, Christum habuisse liberum arbitrium, quod non potuit semper esse otiosum, & libera actione priuatum, esset enim hæc magna inordinatio, præsertim cum habuerit Christum præceptum interdum liberè operandi. Rursus libera Christi operatio non potuit nō esse honesta, cum praua esse non potuerit, nec ho-

neffo sine priuata. Deinde talis operatio in Christo non potuit non esse proportionata ad merendum propter dignitatem personæ, ut magis ex sequenti sectione patebit: non ergo potuerunt opera Christi non placere Deo, & æstimari digna præmio. Ac denique cum ex lege ordinaria supponantur promissio & pactum, consequenter habuerunt necessario illa opera vim ad obtinendum præmium ex iustitia, atque ita non potuit in eis non esse completa ratio meriti. At verò si de potentia absoluta loquamur potuisset Christus ut homo priuari libertate, & consequenter potestate merendi: potuisset etiam Deus nullum præmium promittere operibus Christi etiam liberis, & consequenter ad nullum præmium illa ordinare vel acceptare, quia hoc contra nullam est virtutem, neque aliunde implicat contradictionem: & tunc, licet opera de se essent digna, & magni valoris, non tamen haberent completam rationem meriti. Sed hoc loco insinuat se quæstio alia, an potuerit Deus non acceptare Christi opera ad præmium. Hæc tamen dubitatio, & ex dictis facile expediti potest, & eam sufficienter tractauimus suprè quæstio. 1. art. 2. ubi videri potest cum alijs, quæ hic possent desiderari: videlicet, an hoc Christi meritum fuerit infinitum: an ex perfecta iustitia, & an ex commutativa vel distributiva: & similia, quæ cum communia sint merito & satisfactioni, ibi prætermitti non potuerunt: cum vero eiusdem rationis sint in vtroque, hic repetenda non sunt.

SECTIO II.

Per quos actus Christus Dominus meruerit.

HA Ec quæstio solum tractanda est de actibus à voluntate elicitis. Suppono enim ex 1. 2. quæst. 20. & 21. proprium & formale meritum esse in actu elicto à voluntate: actus vero externos per se non addere meritum actui voluntatis, neque esse formaliter & intrinsece meritorios, sed solum per extrinsecam denominationem ab actu meritorio voluntatis, à quo imperantur, & extrinsece seu moraliter informantur, sicut etiam ab illo denominantur liberi & studiosi. Deinde suppono, sermonem esse de voluntate humana Christi, nam voluntas diuina non est capax meriti, ut per se constat, & sæpe dictum est.

Ratio vero dubitandi in hac quæstione est, quia radix totius meriti apud Deum est charitas, & amor ipsius Dei, hic autem in Christi voluntate non potuit esse meritorius, quia non erat liber, sed necessario consequetur visionem beatam: caruit ergo voluntas illa potissimo actu meritorio, & consequenter videtur etiam caruisse merito in omnibus actibus suis, quia, destructa radice & fundamento, cætera quoque destrui necesse est. Propter hanc difficultatem Theologi varie sentiunt. Quidam enim docuerunt, Christum Dominum non meruisse amando ipsum Deum, potuisse autem mereri, amando proximum, vel alia opera virtutis exercendo. Ita tenet aperte Alexand. Alens. 3. p. q. 17. mem. 1. in solutione argumen. & Scot. in 3. dist. 18. licet hanc sententiam non omnino sequatur, non tamen eam improbat: Et ratio esse potest, quam in principio tetigimus, addendo, meritum singulorum actuum virtutum non pendere ex merito ipsius actus amoris Dei: quia singuli actus studiosi, & præsertim supernaturales, per se sunt meritorij, dummodo supponant charitatē in operante, etiam si non supponant meritum in proprio actu ipsius charitatis. Hæc sententia facile defendi potest: tamē imperfectū quendam modum meriti ponit in Christo, & facile superatur difficultate tacta. Quam si aliter expedire potuerimus, non est cur Christo negemus perfectum meritum in ipso actu amoris Dei existens, quod omnes Theologi statim citandi admittunt.

Secunda

Altiſſod.
Gabr.
Scot.

Capreol.

D. Tho.

Palud.
Capreol.

Ferr.
Soto.
Viguer.
Medin.
Alenf.
Durand.
Ioan. 14.

Obiectio

Respons.

Secunda ergo sententia dicit, Christum meruisse per actum amoris Dei beatificum ut sic, id est, ut terminatur ad ipsum Deum. Ita tenet Altiſſodorenſ. li. 3. sum. tract. 1. cap. 7. Gabr. dist. 18. q. vnic. conclu. 2. & idem videtur sentire Scot. ibidem §. in ista quaestione, quamquam in solutione ad secundum, contrarium indicare videatur. Tenet etiam Capreol. ibi in fine quaestionis, & existimat esse sententiam D. Thomæ, ibi q. 1. art. 2. ad 2. & de verit. q. 29. art. 6. ad 6. Sed hæc sententia niti non potest, nisi alterutro ex duobus fundamentis, scilicet, vel quia ille amor est actus liber & non necessarius, vel quia ad meritum non est necessaria libertas. Vtrumque autem existimatio falsum, ut in superioribus dixi, & ideo non video quomodo possit hæc sententia satis probabiliter defendi.

Dico ergo primò, habuisse Christum actum amoris Dei liberum, supernaturalem, & elicatum à charitate, & ab amore beatifico distinctum, & illo actu perfectissimè meruisse. Ita intelligo sententiam D. Thomæ hic solutione ad primum dicentis, meruisse Christum per charitatem non in quantum erat charitas comprehensoris, sed in quantum erat viatoris: ubi de charitate loquitur, prout terminatur ad Deum. Et nō potest exponi de vno, & eodem actu charitatis Dei, ut sub vna ratione sit meritori⁹, & non sub alia: quia non potest idem actus numero, prout tendit in idem indiuisibile obiectum, atque adeo secundum eandem indiuisibilem entitatem, esse liber & necessarius, quia hæc duæ proprietates includunt contradictionem: ergo non potest idem actus indiuisibilis esse meritorius, ut est comprehensoris, & non ut est viatoris. Præsertim, quia ille actus, licet materialiter, ut ita dicam, potuerit dici viatoris, quia fuit in Christo etiam eo tempore, quo fuit viator; formaliter autem propriè nō potest dici pertinuisse ad Christum ut viatorem: intelligendus ergo est D. Thom. de charitate operante per diuersos actus, quorum alter consequitur visionem beatam, & ut sic dicitur charitas comprehensoris, alter vero versatur circa Deum, & ut cognitur per scientiam infusam, quæ ut sic dicitur charitas, ut viatoris. Et eandem sententiam indicat D. Tho. infra quæst. 34. artic. 3. ubi inquit, Christum fuisse sanctificatum secundum proprium motum liberi arbitrij in Deum, qui motus, inquit, meritorius est. Idem colligitur ex quæst. 29. de verit. art. 5. ad 6. & sequuntur Thomistæ, Palud. in 3. d. 18. quæst. 2. art. 2. & sumitur ex Capreolo in 1. dist. 1. quæst. 3. circa finem; ad argumenta contra quartam conclusionem; tenet etiam Ferr. lib. 3. contra Gent. cap. 62. ad finem, Scot. lib. 3. de Nat. & gra. cap. 7. Viguerius in Instit. Theol. cap. 20. Medina hic. Idem sentit Durand. dist. 18. quæst. 2. Et ratio, quæ ex dictis colligitur, est, quia Christus meruit amando Deum, ut videtur indicari Ioan. 14. in illis verbis: *Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Sed non meruit per amorem necessariū: ergo per amorem liberum. Et confirmatur, quia Christus potuit habere hunc actum liberum amoris Dei: sicut enim duplici scientia supernaturali illum cognoscebat, ita poterat duplici actu amoris illum amare.

Dices, non esse eandem rationem scientiæ, & amoris: quia actus scientiæ differunt specie, quia per diuersa media attingunt Deum, actus vero charitatis non videntur posse specie differre, cum sub eadem ratione summi & supernaturalis boni attingat Deum, prout in se est: si autem solo numero differunt, vel non possunt simul esse, vel saltem non est cur multiplicentur simul in eadem voluntate, alias eadem ratione possent in infinitū multiplicari. Sed hoc altero ex duobus modis probabilibus dissolui potest. Primus est, dicendo actus illos differre specie, quia actus amoris beatifici tendit in Deum pro-

pter omnem perfectionem & rationem, propter quam amabilis est: nam tota illa per visionem beatam distinctè, & clare videtur, & proponitur volutati, at vero amor, qui consequitur scientiam infusam, vel tantum fertur in Deum sub speciali aliqua ratione boni, ut iustitiæ, misericordiæ, &c. vel solum sub ratione summi boni, quasi confuse cognita, & non distinctè propolita. quatenus in se continet omnem bonitatem, & perfectionem. Quæ diuersitas satis esse videtur ad diuersitatem specificam illorum actuum. Secundus modus est, illos actus esse tantum numero diuersos, quia tendunt in idem obiectum diuersis vijs, seu diuersis modis applicatum, & modis etiam diuersis, scilicet, necessariis ac libere, idque non ex aliqua inadvertentia, seu accidentè, sed per se & ex perfecta cognitione, & duplici modo intrinseco, ac connaturali voluntatis: & quia illi modi tantum sunt duo, ideo illi actus amoris non plures multiplicantur. Quod autem duo accidentia solo numero distincta, possint saltem supernaturaliter esse in eodem subiecto, nullum est dubium: quin potius etiam naturaliter contingere potest, ut hæc accidentia, quæ respiciunt extrinsecum terminum vel obiectum, possint multiplicari numero in eodem subiecto. Quis autem horum modorum probabilior sit, in materia de charitate ex professo disputandum est, pendet enim ex illa quaestione, an actus amoris Dei in via, & in patria specie differant.

Dico secundò, meruisse Christum per actum charitatis proximorum. Est communis Theologorum, & certa, quia in illo actu concurrunt omnia necessaria ad meritum. Solum est notandum, hunc amorem proximi, duplicem intelligi posse, vnum consequentem scientiam infusam; & de hoc nulla ratio dubitandi esse potest, quin fuerit meritorius, præsertim suppositis his, quæ de amore Dei diximus. Alius vero potest intelligi amor proximi consequens visionem beatam, nam cum anima Christi in Verbo videat omnia, videt etiam proximos, & omnes rationes amandi illos: unde non est dubium, quin ex vi illius cognitionis, illos amare possit ex charitate. Dubitari ergo potest, an etiam hic actus fuerit in Christo meritorius; & ratio dubitandi sumenda est ex conditione libertatis, quia nulla alia potuit illi ad meritum deesse, ut per se manifestum est. De libertate autem merito dubitatur, quia anima Christi eodem motu charitatis, quo ferebatur in Deum clare visum, ferebatur etiam in proximum visum in Deo; ergo secundum utramque rationem erat actus illi necessarius: ergo neutra ratione potuit esse meritorius. In hac re tres occurrunt dicendi modi. Primus est, illum amorem proximi fuisse eundem actum cum amore beatifico Dei, & nihilominus fuisse meritorium, quia est liber, ut terminatur ad proximum, licet, ut terminatur ad Deum, sit necessarius. Quæ opinio supponit quidem, eundem actum dilectionis Dei extendi ad proximos, non tamen secundum eandem indiuisibilem entitatem: quia hoc repugnat entitati creatæ & finitæ, cum obiecta sint diuersa, & inter se non necessario connexa in ordine ad actualem amorem. Intelligi ergo debet actus ille extendi ad creaturas secundum reale augmentum, seu reale extensionem eiusdem actus: & hac ratione fieri posse, ut ille actus, qui secundum se, & ut terminatur ad primum obiectum, est necessarius, habeat augmentum, seu extensionem liberam ad secundarium obiectum. Propter augmentum autē illud de immutabilitate illius actus, dicunt aliqui posse actum esse liberum, & immutabilem, sicut videre licet in voluntate Dei, quæ libere se determinat ad aliquod obiectum, & in eadem determinatione immutabilis est. Sic inquitur intelligi potest, animam Christi in primo instanti suæ creationis libere dilexisse proximos illo actu, & tamen in

men in actuali dilectione immutabilem perman-
fisse, solum quia natura illius actus talis est, ut sit im-
mutabilis.

Nullus a-
bus crea-
tus liber, qd
immuta-
bilis.

Sed licet hoc acutè dictum sit, non tamen conse-
quenter dictum videtur. Primò quidem, quia vol-
untas Christi non maiorem necessitatē habuit per-
seuerandi semper in illa actuali dilectione proximi,
quam habendi illam in primo instanti, quia neq; ab
obiecto, neque à Deo ipso necessitatem patiebatur:
referre autem hanc necessitatem in solam naturam
illius actus, est gratis dictum, & est quædam petitio
principij: nam, cum ille actus sit quid creatum, ex
hac parte non est immutabilis, in quo differt mul-
tum ab actu increato diuinæ voluntatis: & cum a-
lias sit actus potentie liberæ, & vultu circa obie-
ctum, quod non infert potentie necessitatem, neq;
etiam ex sua specifica ratione immutabilis est: non
est ergo natura sua immutabilis. Deinde, quia si
Christus in primo instanti libere dilexit proximos
illo actu: ergo potuit non diligere: demus ergo susti-
nuisse pro aliquo tempore illum actum, seu exten-
sionem eius, nonne poterat postea incipere diligere
proximos illo actu? certè non videtur id probabili-
ter posse negari, quia si in principio id potuit, eum nō
postea, cum ille actus capax sit illius augmenti, &
ipsa potentia semper retineat vim & libertatem ad
efficiendum illum. Quod si potuit Christus post al-
iquid tempus incipere proximos diligere per illū
actum: ergo ille actus de se mutabilis est secundum
illud augmentum: ergo pari ratione mutari posset
per cessationem ab actuali proximorum dilectione.
Denique ille actus, prout terminatur ad proximos,
non pertinet ad essentialem beatitudinem, neq; ha-
bet necessariam connexionem cum actuali amore
Dei, potest enim perfectè amari Deus, quamuis pro-
ximus non semper actu ametur, sed interdum tan-
tum in habitu: non est ergo inconueniens (supposita
illa sententia) admittere huiusmodi mutationem
possibilem in illo actu. Nec sequitur necessariò idē
dici posse de visione beata, quia per illam videntur
creaturæ in Deo ex vi visionis ipsius Dei, unde non
posset fieri mutatio in ipsa visione, si terminata ad
creaturas, quin fieret in eadē terminata ad Deū:
actus vero amoris non extenditur ad creaturas ex
necessaria connexionē obiectorum, sed ex libera ef-
ficacitate voluntatis, ut dictum est.

Obisatio.

Sed adhuc obijci potest, hoc non esse satis, ut ille
actus ut sic sit meritorius, quia non est actus viato-
ris, ut viator est, cum fundetur in scientia beata: de
ratione enim meriti esse videtur, ut formaliter sit
actus viatoris ut sic. Respondetur. Hoc argumento
probaretur, omnes actus fundatos in scientia infusa
non esse meritorios, nec viatoris ut sic: quia ipsa
scientia infusa aliquo modo consequitur scientiam
beatam. Dico igitur, ut actus sit meritorius, satis es-
se, ut sit bonus, liber, & in persona grata in via exi-
stente: unde supponendo, eandem personam simul
esse comprehensorem, & viatorem, non repugnat
merito, ut aliquo modo fundetur in ipsa visione
comprehensoris, sed solum repugnat illi, ut forma-
liter ac per se pertineat ad statum comprehensoris
ut sic. Vnde sicut scientia beata existens in viatore
potest esse ratio prophetandi: ita etiam potest esse
principium vel fundamentum merendi. Et dici po-
test ille actus viatoris ut sic, quia ipsa visio non po-
test ad illum actum, ut meritorius est, deferuire, nisi
prout est in viatore.

Responsio.

Hic modus dicendi, supposito vno principio, in
quo fundatur, satis probabiliter procedit, satisque
consequenter, atque ita mihi aliquando placuit. Iam
verò existimo, principium illud esse falsum, quia in
actibus voluntatis, vel intellectus, non est extensio
illa ad plura obiecta materialia, per compositionem
& vnitionem realium partium distinctarū, sed aut
actus terminatur ad vnam tantum rem, vel, si ter-

minatur ad plures, id habet ex perfectione, & emi-
nentia suæ indiuisibilis entitatis, quod supra quæsit.
10. tractando de visione beata Christi Domini, à no-
bis probatum est, & omnia ibi adducta eadem, vel
maiori ratione locum habent in hoc actu volunta-
tis, quia illæ duæ res, scilicet, Deus & proximus,
minus necessariam connexionem habent in ordine
ad amorem, quam in ordine ad visionem: unde, si
illa entitas amoris, quæ terminatur ad proximum,
est in re distincta ab alia, quæ terminatur ad Deum,
non potest intelligi, quo vniantur, aut quomodo
ad componendum vnum actum coniungantur: nō
ergo distinguuntur partialiter, federunt actus di-
stincti. Hoc autem principio supposito, apertè se-
quitur, non posse eundem actum, secundum aliquid
sui esse necessarium in ordine ad Deum, & secun-
dum aliquid aliud re ipsa distinctum & separabile,
esse liberum in ordine ad proximum. Dicendum
ergo erit, aut non amari proximum, etiam visum
in Deo, eodem actu, quo amatur Deus, quod est pro-
babile, ut statim dicam; aut certè, si amatur eodem
actu, illum esse indiuisibilem, & consequenter esse
secundum se totum necessarium, & ideo non esse
meritorium, etiam prout ad proximum termina-
tur. Dices, eundem actum entitatiue indiuisibilem
posse terminari ad vnum obiectum necessarium, &
ad aliud liberè, nihil ei addendo, ratione liberæ ter-
minationis, ut constat in actu increato, voluntatis
diuinæ. Respondetur, hanc eminentissimam per-
fectionem esse propriam diuini actus increati, &
infiniti, neque posse cum fundamento attribui a-
ctui creato, & finito. Quod enim Deus illum eta-
ctu, quo se necessario amat, possit libere amare, &
non amare creaturas, nulla re illi addita, vel sub-
tracta, est vnum ex difficilissimis mysterijs diuinæ
infinitatis, adeo ut nonnulli Theologi, quia illud
non intelligunt, nec reuelatum ex pre se inueniunt,
illud non credant. Qui ergo credibile est, hanc per-
fectionem communicari actui creato, ut idem om-
nino manens possit terminari ad solum Deum ex
necessitate, libere vero possit extendi, vel non ex-
tendi ad proximos, nihil ei addendo, vel subtra-
hendo?

Propter hæc ergo est secunda sententia, quæ ne-
gat, Beatos amare Deum & proximum eodem actu
numero, sed diuersis, atque ita animam Christi ex
visu solius visionis beatæ, quæ videbat Verbum, & pro-
ximos in Verbo, habuisse vnum actum, quo neces-
sariò diligebat Deum, & alium, quo libere proximos
amabat, atq; hoc modo meruisse per amorem pro-
ximorum consequentem visionem beatam, ita sentit
Scot. in 3. distinct. 18. quæst. vnica ad argumenta,
& sequitur Med. hic articu. 3. dub. 2. & est probabilis
opinio.

Tertia verò sententia est, Christi animam ex vi
visionis Verbi & proximorum in Verbo, duplici-
ter potuisse diligere proximos; primo, ut obiectum
secundarium simul ac vno indiuisibili affectu cum
Deo ipso directè ac primariò amato eodem actu: se-
cundo, ut obiectum materiale adæquatū talis ac-
tus. Quod enim prior modus sit possibilis, suppo-
nitur ex prima Secundæ. q. 12. & 2. 2. q. 26. & infra q.
25. tractando de adoratione, constabit in motu ado-
rationis similes actus reperiri. Et declaratur breui-
ter, quia, cum charitas inclinet ad amandum pro-
ximum, ut rem quandam Dei, si intellectus simul
proponat, ut obiectum summe amabile, tam in se,
quam in proximo, seu tam amando ipsum, quam om-
ne id, quod est aliquo modo bonū eius, nihil ve-
tare videtur, quominus volūtas vnico impetu fera-
tur in hoc totū obiectum per modum vnius: & hoc
est ferri vno actu indiuisibili. Quod si hic modus ac-
tus, & dilectionis ex se nō repugnat, exerceri poterit
à Beato ex vi visionis beatæ, quia per illā perfectissimæ
& vnitissimæ præstatur totum illud obiectum
& aliud.

& aliunde voluntas perfecta habet vires ad talem actum elicendum. Rursus, quod alter actus dilectionis proximi sit possibilis, qui solum versatur circa proximum ut rem dilectam, & materiam, circa quam, licet ratio sic amandi sit Deus, nullus ferè dubitat, imò hic est frequens, & vñtatis modus diligendi proximum ex charitate, quia non est necesse, ut ratio amandi sit semper directè amata, sed solum ut terminus alicuius habitudinis, ut patet in fine, & medio, quod propter finem diligitur; & aliunde constat, proximum esse sic amabilem ex charitate propter Deum; est ergo hic actus possibilis ex se: ergo etiam in anima vidente Deum erit possibilis, non obstante priori actu, quia & distincti sunt, & vnus alteri non repugnat. Primum patet ex dictis, quia non posset hic actus circa solum proximum directè versari, nisi esset distinctus. Item, quia hic actus aliquid entitatis addit: ergo non potest in eundem actum cum priori coalescere. Itē, quia hic actus supponit alium completum & perfectè terminatum ad totum suum obiectum; cur ergo vnietur illi? Secundum vero patet, quia nulla ratio talis repugnantiae cogitari, aut fingi potest.

Hoc ergo supposito, certum est, posteriorem actum non esse necessarium sed liberum, atque ita esse meritorium; de priori autem videtur probabile, esse necessarium simpliciter quoad totam suam entitatem, quia indiuisibilis esse supponitur, & consequenter non potest secundum aliquid sui necessario elici; quin totus & secundum omnem suam habitudinē sit necessarius. Vnde, licet proximus, spectata conditione talis obiecti, non necessario diligitur, tamen ex parte talis actus necessariò diligitur, quia simul cum Deo necessariò dilecto amatur. Itē per talem actum videtur Deus perfectiori modo diligi, saltem extensius seu entitatis, quia non solum quoad intrinsecam, sed etiam quoad extrinsecam bonam eius, & quoad omne id, quod ad ipsum pertinet, amatur; & ideo ratione perfectioris amoris Dei, poterit talis actus esse necessarius, quia, cum charitas Beati naturaliter operetur circa Deum, agit quantum potest, & ideo perfectissimum actum elicit, tam intensius, quam entitatis. Atque ita sit, ut talis actus, etiam ut terminatur ad proximum, meritorium non sit.

Dices. In quo ergo distinguitur prior amor proximi, ab illo, quem exercere potest anima Christi ratione seipsum infusa, amando proximum propter Deum, prout per scientiam, vel prudēciam infusam amandum esse iudicat? Responderi potest dupliciter. Primò, negando, hos actus esse distinctos, per se loquendo, si eodem tempore, & circa idem omnino obiectum, seu circa eundem proximum exerceantur: quia nulla est ratio distinguendi illos, nam sola distinctio cognitionum, per quas idem obiectum applicatur, non videtur sufficere, quando alias in obiectis, & in modo tendendi, est omnimoda similitudo, seu conuenientia. Vnde consequenter sit, non alia ratione dici posse, meruisse Christum per actum dilectionis proximi consequentem scientiam beatam, nisi quia ad illum actum sufficere poterat scientia beata, quamuis etiam infusa satis esse possit, & fortasse Scotus nō aliud sensit. In hoc autē sensu etiam est probabile, amorem Dei meritorium, qui consequatur scientiam infusam, potuisse exerceri ex vi solius scientiae beatae, simul cum amore necessario, sub ratione tamen aliqua, aut modo minus perfecto. Secundo responderi potest, illos actus amoris proximi esse numero diuersos, quia per illos tendit voluntas in obiectum diuersis modis applicatum, sed quia hoc difficile creditū est, prior responsio verisimilior videtur.

Dico tertio, meruisse Christum per actus omnes virtutum infusarum, quos liberè exercuit. Est certissima, sic enim meruit per actum obedientiae, ut

testatur Paul ad Philip. 2. & per actum religionis, ut orationis, &c. & ad eundem modum meruit per passionem suam, quatenus illa erat actus charitatis Dei & proximi, & religionis (erat enim sacrificiū quoddam) & misericordiae, iustitiae, obedientiae, ac ferè virtutum omnium. Et ad eundem modum philosophandum est de omnibus actibus Christi.

Dico denique quarto, meruisse Christum per omnes actus liberos suae voluntatis, etiam si illi fuerint ordinis naturalis, ut sunt amor naturalis Dei, & actus aliarum virtutum moralium acquiritarum. Probatur, quia omnes illi actus erant honesti, & Christo referebantur in supernaturalem finem, & quamuis non referrentur, sola dignitas suppositi deificantis illos, satis esset, ut haberet omnem proportionem, & valorem ad meritum. Sicut enim Christi humanitas per ipsam vnionem ita deificatur, & sanctificatur, ut ratione illius debeantur illi alia dona (etiam ipsa gloria) tanquam conaturalis proprietates: ita omnis actus bonus humanitatis vnitate, etiam si secundum se esset ordinis naturalis, tamen ratione vnionis erat Deo gratissimus, & dignus quocunque praeio supernaturali: quia dignitas illius personae magis ad hanc dignitatem confert, quam quāuis alia conditio actus, & quā relectio operantis ad extrinsecum finem, quae simpliciter necessaria non est ad talis actus valorem, & dignitatem.

Sed obijciunt quidam, nam praeium est in sua substantia naturale: ergo actus naturalis non potest esse condignum meritum eius. Respondetur, negando consequentiam, quia in nobis bona opera moralia, licet naturalia sint, sunt merita de condigno supernaturalis gloriae, non quidem ex se, sed quia per gratiam eleuantur & dignificantur, vel immediate, ut quidam volunt, vel saltem media aliqua relatione supernaturali charitatis. In Christo vero, licet haec relatio de facto non defuerit, sola dignitas personae, & gratia vnionis, ob excellentiam eius ad hoc sufficeret. Et ratio est in superioribus tacta, quia dignitas meriti nō fundatur in physica dignitate, sed in valore morali, quem participare potest actus a gratia vel forma supernaturali, etiam si ipse naturalis sit.

Atque hinc colligitur (quod supra haec remissimus) licet in Christo nullum esset donum gratiae creatae, nec supernaturalis cognitio, sed sola vnio, potuisse in illo esse condignum meritum cuiusvis supernaturalis praeij, intercedente sufficiente ordinatione diuina, seu promissione sub conditione talis operis. Quia in illo opere reuera esset sufficiens valor & dignitas. Nec oportet, quod ipse operans semper cognoscat praeium, quod suo actu meretur, nec quod speciali ac propria relatione suum actum referat in tale praeium. Nam, licet fortasse in humana iustitia id necessarium sit, nō tamen apud Deum, quia eius ordinatio, & promissio sufficit propter efficaciam & supremum dominium voluntatis eius, quae, ut obligationem inducat, vel ius conferat, non indiget alterius acceptatione, vel consensu, sed solum ut conditio operis habentis sufficientem valorem impleatur. Atque in nostris meritis apud Deum saepe contingit, neque enim necesse est, ut opus nostrum in praeium referamus.

SECTIO III.

Quo tempore Christus meruerit.

Tria in hoc dubio desiderari possunt. Primum, quando Christus mereri incepit. Secundum, quo tempore durauit in actuali merito. Tertium, quando posuit finem, & terminum merito suo.

Circa primum, fere omnes Theologi cōueniunt, Christum incepisse mereri à primo instanti suae incarnationis. Quamquam enim Durandus in 3. dist. dicitur 18. q. 2.